justissima P. C. Panegyri, dum frequentes huc confluxist-
ad videndum, quos quilibet in Linguarum studiis sub Prae-
ceptoribus suis profectus fecerit, necnon ad audiendum, quos que-
vis in Disciplinarum cognitione progressus ceperit, se non
illico ad prompte respondendum componet, omnem moturus
lapidem, ut indies nova in Linguarum, in Artium, in Discipli-
narum studiis incrementa capiat, eoque majori cum laude
hoc in publicis ejusmodi Examinibus, Vobis, Venerandi Patres
praesentibus, stare possit. Habetis, in quo tertio vestri
hic Accessus frequens, Viri Optimi, cum Vere conveniat: pau-
nunc, quaeso, aspiciatis, quae dissimilitudo sit Veris & vestri hu-
jus Accessus. Vere ipso omnia virere videntur, & aspectu suo
mortalium oculos recreare, & sensus omnes, ipsumque animum in-
credibili voluptate reficere; sed eheu! quam multi sunt dies
qui jucundissima hac amoenitate continuis imbribus nos pri-
vant? quam multi sunt dies verno etiam tempore, qui aëris
asperitate non procul ab hyemali abhorrent, nec parum in-
festi sunt? quoties etiam Sol non oritur nitidus ac illustris,
aspectusque ejus contrahuntur & moerent omnia? quoties denique
aëris adversi flatu marcescunt, quae virebant & florebant
jucundissime? Id quidem praeprimis instabili hoc mensis
Aprilis tempore observare licet: mox enim crassissimae & te-
nebriosissimae nubes coelum, quod ante renidebat purissi-
me, obtegunt, nunc imbres, nunc grandines, nunc nives emit-
tentes assiduas; mox diri venti flatibus ingruentes undique
violenter aërem commovent; mox fluvii alveos suos exce-
dunt, & demissioribus ripis superfunduntur, premunt val-
les, inundant campos, adjacentibus villis ac viris damna
saepe non exigua inferentes. At enim non sic vester ho-
diernus accessus, non sic vester hic consessus. Uterque enim
certissimam ostendere videtur spem Gymnasio nostro ca-
pitis sui magis imposterum tollendi, neque ultius negligentiae
neque desidiae, neque lasciviae, neque reliquorum rei literariae teter-
rimorum hostium incursiones metuendi, ut semper florens
semper fortunatum, semper novis incrementis auctum hoc
nostrum aspiciatur Gymnasium.